



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis  
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

Capvt VI. In luene, chirographum suum à malo Genio recipiente, docetur,  
nullum esse tantum peccatorem, quem immensa Dei potentia non possit  
in gratiam recipere, si velit agere pœnitentiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

lūm vsque septies, sed etiam vsque *septuagies septies*, hoc est, sine numero & fine, ignoscere, multo id ipse vellet magis prestare, ut nos ad penitentiam adducat. Inter homines nihil est difficilius, quam vel leuem iniuriam lædenti ignoscere: opus autem hoc Dei est, vt grauissima ignoscat, & citò & faciliè: *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter penitentiam. Diligis enim omnia, qua sunt. Parcis autem omnibus* (etiam qui in Inferno citra condignum puniuntur) *Quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Hæc malos faciunt peiores, dum cogitant: Si ita est, pergam peccare, quia habemus misericordem Dominum, & sic in misericordiam offendunt, qui cæci sunt, & de spinis uvas volunt colligere: eos autem, qui norunt æstimare virtutem, à peccato potenter abducunt dicentes, Indignum esse, vt tanta bonitas offendatur, quæ utique amanda est, quia amabilis est, & non sine incredibili iniuria læditur. Quare in lachrymas prorumpunt, & penitentiam agunt. Multoquæ id magis animat pios. Quisquis enim Petrum peccatorem tam desperatum videt, prò vno Rosario recitato, Mariæ auxilium tam citò, inmodò veniam ab ipso Christo obtinuisse; cogitat se, tot operibus bonis, in Congregatione, vel alibi, oblatis, non solum spem veniæ, sed etiam æterna præmia consecuturum. Quare & opera egregiè ardentèquæ exercet; & si in Sodalitate adhuc nulla est, cum Petro, propria se in aliquam manu inscribit; æstimatquæ reuera magni, quod non flocci faciunt nisi desperati.

Math. 18. 22.

Rom. 2. 4.

Sap. 11. 24.

C A P V T VI.

IN IUVENE CHIROGRAPHVM SVVM  
A MALO GENIO RECIPIENTE DOCETVR,  
NULLVM ESSE TANTVM PECCATOREM, QVEM

IMMENSE DEI POTENTIA NON POSSIT IN GRATIAM RECIPERE, SI VELIT AGERE PENITENTIAM.



DAVID rex peccantis pariter, & penitentis fuit exemplū, vt, ob ipsam dignitatis eminentiam, tantò conspectius esset, quidquid de eo legeretur, tantoquæ libentiùs, qui

I.  
MISERICORDIAM ET PENITENTIAM

K

cum

DEI CREDEN-  
DAM ESSE FOR-  
NITENTI.  
1. Reg. 22. 5.

Psal. 6: 7.  
Ibid. 7. 12.

Gen. 4. 33.

Psal. 50. 1.

II.  
S. Antonin.  
p. 2. Chron.  
c. 4. f. j. ex  
Vinc. c. 79. &  
de S. Bablio  
scripserunt

eum peccantem sunt secuti, etiam poenitentem sequerentur. Ad poenitentiam autem eum multa pertraxerunt, nimirum Gad Propheta, conscientia & fœditas peccati, minæ & iustitia Domini; sed inprimis diuina bonitas, potestas, & clementia, quæ eum in spem veniæ erexit. Hinc eum per poenitentiam volens se Deo submittere, dixit: *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* tandem velut causam eius subiectionis adiecit: *Semel locutus est Deus, duo hæc audisti, quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia.* Hæc duo per fidem Deus loquitur in anima peccatoris, ad viam reducendi; scilicet adeò Deum esse misericordem, vt velit omnes homines saluos fieri, neque vllum adeò esse sceleratum, quem non velit in viam reducere salutis. Quod supra docuimus. Superest alia peccatoris machina, qua hominem ad desperationem impellit, vt ei suggerat, eò res illius venisse, siue ob inueteratam consuetudinem, siue ob enormitatem & multitudinem scelerum, quæ superat multitudinem arenæ maris, vt Deus ei amplius non possit ignoscere. Nam & hoc significauit Cain dicens: *maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Et perinde est, siue misericordia Deo, siue potestas negetur: vtraque est enim in se æqualis, & infinita. Et video non solum quosdam grauissimos peccatores in eam hæresin delabi, vt putent, credantque, Deum non posse nimis profundè lapsos educere de lacu miseriæ; sed etiam quosdam pios, & qui Dei potentiam infinitam profitentur, viros in ea opinione esse, vt saltem nobis de quibusdam generibus peccatorum sit desperandum, eosque in suis sordibus relinquendos, ne oleum & opera perdat. Ad hos quoque errore liberandos accipite exemplum, è quo, potentia diuinâ manifestè intellecta, ad eiusdem Dei clementiam recurrere, & quotidie dicere discatis: *Miserere mei, Deus.* Numquam enim hoc dicet, qui putauerit, frustra dici, Deumque non posse iuare quosdam peccatores.

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, in parte 2. chronicorum, atq; ante eum alij testantur, eximia eruditionis, sanctitatis, & authoritatis Episcopum fuisse D. Basilium. Cui etiam multum opinionis addidit, quod sequitur Factum. Circa An. Domini 370. imperante Valente, Cæsare in Cappadocia, Proterius quidam erat, homo locuples, & prouecta ætate; qui, quia viribus

viribus defectus videbat, se orationi, & templis vacare amplius non posse; vnicam prolem seruitijs diuinis destinabat. Erat enim illi filia eximia venustatis, quam vnà cum opibus statuerat Deo consecrare. Neque illa aliud cupiebat, iam spe plena, quòd mundi diuitias cum Christi thesauris, terram cum caelo, turbas mentis cum serenissima tranquillitate commutauisset. O quam incertæ sunt mortalium cogitationes? Quam fideliter ille monuit? *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam?* Quot, quanti, que homines iam animo habitant apud Deum; & velut Angelus ille, qui posuit pedem suum dextram super mare, sinistrum autem super terram, dum corpore sunt in procelloso hoc mari, mente in caelo degunt; tamen consilia sua retractant; & coronam suam amittunt: aut certè Numini causam dant, vt eos finat respicere retro, postquam manum suam iam ad crucis aratrum applicauerunt?

Neque tentator deest, qui semper exubat in exitum nostrum, & consilia coquit, ad pias hominum voluntates euertendas. Sine igitur puella illa indiligentiùs se custodiens, siue malus Genius virtuti eius inuidens, siue aliud quid in causa fuerit, magnam Virgo incidit in tentationem. Erat in eadem familia seruilis quispiam, qui oculos licentiùs in illam mittens cœpit oris in ea atque sermonis gratiam obseruare. Et flammam traxit, quasi qui stipulam igni admouisset. Cœpit igitur illius amoribus calefcere, ardere, consumi. Nullam ille omisit occasionem Virginis aspiciendæ, enimuerò etiam, per causam quamcumq; compellendæ. Illi, vbicumque poterat, officia sua deferebat: illi honorem quâ vultu, quâ gestu exhibebat: illi munuscula vel furto aliunde subducta donabat; vt proinde puella nimia honoris obseruatio suspecta videretur, & dexterè declinanda. Quid enim ingenua in homine seruo; quid opulenta in pauperculo; quid casta in impuro proco, & Dei sponsa in mancipio amaret? Itaque, quantum amiebatur, tantum ipsa à lenocinante abhorrebat. In seruo autem contrarium eueniebat. Nam quòd vidit illam magis refugere, eò ille magis negata cupiebat, incendium in dies augente Orco. In eo fitis vehementiùs accenditur, cui a stuanti potus negatur; ita spes, qua differtur, affligit animam. Indomita

Nazianz.  
Nyssa. Hieronym.  
Suidas, Philosterg.  
Theodoret.  
Amphilochius,  
&c.

VIRGINIS  
CONSILIVM.  
Apo. 3. 12.

Apo. 10. 2.

III.  
SERVI AMOR.

Pro. 13. 2.

bestia.

K 2

bestia est amor, neque se carceribus sine cohiberi, neque habena rationis refragari: & ubi humanis destituitur auxilijs; vel Tartareos querit auxiliares.

IV.  
FACTVM MA-  
GICVM.

Quamobrem cum hominis & dzemonis mancipium videret, se actum agere, more multorum pro amore insanientium, inquisiuit vbi que de philtro puellæ dando, vel arte quacumque illam incendendi. Audiit ab aliquo, esse non procul, qui ipsos posset dzemones adiurare, eis que mandata dare, atque ab illis quidam impetrare. Hunc adiit, eius que opem flagitauit, pacto prelio. Tunc incantator assidens in Musæo, arrepto que calamo epistolam ad Stygium principem exarauit; eam que seruo tradidit, iusso, nocturno tempore, exiit extra mœnia ciuitatis, atque super monumentum Ethnici cuiusdam stare, epistolam que extenta manu sursum in aërem eleuare, ac tradere spectro ad eum locum venturo. Mirabilis hominum est cæcitas, centies audiunt documenta salutis, & vix semel tandem parent. At ubi artes superstitiosæ, magicæ, Tartaræ suggeruntur, illico obediunt. Facta igitur nocte, extra urbem processit seruus, & epistolam, audax tabellio, tumulto nominato insistens, malo Genio porrexit; qui illico adfuit, litteras aperuit, & legit. Eis perlectis, seruum in hunc modum est allocutus: Intelligo, cur ad me veneris: auxilium à me petis, & vis, vt faciam te quoque à puella amari, sicut tu illam deperis. At, si opem à me flagitas, credis eam tibi à me posse præstari? Credo, inquit ille. Tum rursus veterator, Credis ergo, me esse Deum tuum? Credo, ait ille. Abrenuntias Christo? Abrenuntio Christo. Abrenuntias Matri eius? Abrenuntio. Abrenuntias omnibus Sanctis? Abrenuntio omnibus Sanctis. Abrenuntias omnibus Ecclesiæ Sacramentis? Abrenuntio omnibus Ecclesiæ Sacramentis. Execraris ergo Deum, & omnia diuina? Execror omnia diuina cum Deo, inquit. Et hoc propter vnus puellæ amorem. Usque ad eò indomita libido abducit homines longè à celo. Hac postquam à seruo obtinuit cacodæmon, voluit sibi cautionem præstari; ita ergo eum est allocutus. Perfidi estis vos Christiani, qui quando mea opera egeris, ad me venitis, mihi vos, & animam vestram obligatis; postquam autem voto vestro potiti estis, atque desideria vestra explenistis, ad  
Christum

Christum vestrum reuertimini; benignè vos ille recipit. Si igitur vis, vt petitioni tuæ annuam, necesse est chirographo rem firmari: in quo volo, vt voluntarium abnegati Christi, & baptisimi, & cõtius huius professionis negotium clarè exprimas. Hac enim charta mihi opus erit, in die Iudicij. O quanta est mortalium excitas! cùm Deus aliquid à nobis exigit, etsi exiguum sit (ipso dicente, *iugum meum suauis est, & onus meum leue, & alio; manda-* *ta eius gratia non sunt*) quas non inueniunt excusationes, tergiuersiones, querelas? ast quando Acheronticus tyrannus aliquid mandat, licet contra rationis normam, contra naturæ leges, vt homicidia, veneficia, idololatrias, ibi nulla est difficultas, dummodo obtineatur, quod petitur, quiduis vicissim illi promittit. Itaque seruus Proterij, vt etiam diaboli seruus fieret, proprio sanguine, nomen, professionemque suam in chartam consignatam, capitali humani generis hosti tradidit, ex hominis seruo, seruus diaboli, ex Christiano magus factus.

Hic iam discite, arcana Dei iudicia timere, quæ sæpe etsi mira sunt, semper tamen sunt iustissima. Nullum de Proterij filia vitium, in historia, magnæ virtutes indicantur. Erat bene educata: habebat pium parentem, volebat Christo æternam consecrare virginitatem; & tamen à Deo potestati diaboli traditur. Quippe Spiritus fornicationis, pleno agmine ex Auerno citatis, & à principe dæmoniorum in puellam immissi sunt. Cœpit igitur illico puella iam alias in corde versare cogitationes; seruum non fugere, sed quærere, cum eo colloquia miscere, atque ita tota in eum exardescere, vt dissimulatione omni posita, haud secus ac Spiritu damnato infessa, coram patre, se in terram proijcere, & furere cogeretur. Misertus est gnatae pater; neque filia ambagibus vsa est, sed elata voce clamauit: Misereatur mei, sum enim in tormento, quia vrer, & ardeo; non possum hanc amplius pati flammam: vel iunge me seruulo istius in matrimonium, vel morior. Expalluit pater, & rogauit, etiam atque etiam, ne à pristino mentis proposito resiliiret: præstare utique Christi Domini, quàm serui mancipijque esse sponsam. Surdæ canebatur; seruum volebat. Postquam autem vidit parens, frustra se esse, nuptias dissuaderi non posse, saltem id conatus est efficere, vt a-

Matth. 11. 30.  
1. Ioan. 5. 5.

V.

DAEMONIS IN  
PUELLAM POS-  
UITAS.

nimum appelleret ad nuptias honestiores. Sed saxo loquebatur. Nullum illa alium audire, nullum alium se velle, quàm seruum, clamitabat. Quid faceret miser? Consultius iudicabat, filiam seruo, quàm morti tradere. Itaque consentit in nuptias, quamuis animo multum reluctante. Apparantur nuptiæ, &, obstupescente tota ciuitate, celebrantur.

VI.  
PUELLA QUAE  
EI SIT NUPITA  
MARITO IN-  
TELLIGIT.

Nemo diaboli ope nitatur, qui vult felicem negotiorum suorum exitum; non cupit ille hominibus bene esse. Quocirca & puellæ illi non diu benè fuit. Multa in eius marito deprehendebantur, quæ suspicionem ciebant. Inter quæ etiam fuit, quòd numquàm videretur accedere ad sacram synaxin; immo quòd solennia officia, conciones, aliæque quæ in templo ad diuinum cultum instituebantur, apertè declinaret. Fuerunt igitur, qui ad coniugem eius accederent, dicerentque: Nostinè qualem nacta sis maritum? nempe hominem minimè Christianum. Neque enim quidquam facit, quod Christianum decet. Dum alij in templo orant, aut domi dormit, aut foris ludit, aut alicubi bibit: quòd facere solent non nisi impietate absorpti, ac diuina nihili facientes. Hoc vbi audiuit noua nupta, Deo impensè addicta, tum sensit, quàm citò mundi gaudia in luctum conuerterentur. Siquidè dolore & poenitudine plena, velut fulmine tacta in terram cecidit, cœpitque pectus palmis tundere, comas dilacerare, genas vaguibus scædare, facereque omnia, quæ Mænades solent, cum insanunt; repetito identidem clamore, *Hæc cur nata sum?* Aduolauit ad hunc vlulatum etiam maritus, qui, intellecta questus causa, diu contentè negauit, id quod reuera erat, dictitans magnam esse hominum inuidiam, qui in recentia matrimonia libenter soleant discordias infeminare. Verùm puella, tum se verbis eius credituram respondit, si facta dictis competerent. Atque ut fides constaret, cras, inquebat, mecum in templum venito, meque inspectante, ad sacrum sacerdotis tribunal, atque inde ad diuina mysteria sumenda accedito. Tunc enim uerò oculis plus credam, quàm auribus. Hac condicione adactus, tandem, quòd res erat, falsus est, totamque rei seriem retexuit, pactumque cum Orco initum illi patefecit.

VII.

Morbo mariti percepto, innocens puella illico cucurrit ad verum.

verum medicum S. Basilium Episcopum, eique omnem rerum ge-  
 starum ordinem recensuit. Is maritum iussit accersiri, qui cum  
 lachrymis illi omnia confessus est, nec quidquam negauit. *Cui  
 sanctus: Vis reuerti ad Deum? Et ille. Volo, sed non valeo, quia scri-  
 pto abrenuntiaui Christo, & professionem feci diabolo. Hæc est causa,*  
 ob quam multi de sua salute desperant, putant enim, se non posse  
 amplius à diabolo recedere. Cur? an quia peccata illorum sunt  
 nimis multa & magna? At longè maior est misericordia Dei, quia  
 infinita; & fuit, qui diceret: *Miserere mei Deus, secundum magnam  
 misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tua-  
 rum.* De qua misericordia dixi satis, in priore exemplo. Super-  
 est ergo altera causa dicentium, *Volo, sed non valeo.* At cur non  
 vales? *quia scripto (vel facto) abrenuntiaui Christo, & professionem  
 feci diabolo.* Quid igitur? vter est potentior? vides Fidei defectum?  
 Si crederes Christum esse Deum, vtrique crederes esse diabolo po-  
 tentiorem. Nam quis alterum fecit? Deus Angelum, an Ange-  
 lus Deum? Si ergo Deum Angelus non fecit, sed ab eo factus est,  
 potest ab eodem in totum destrui. Accedit, quòd & vim omnem  
 à Deo acceperit, potest ergo eandem Deus vel auferre, vel religa-  
 re. Quid quòd omnes diaboli angelos Michaël vicit, & in infer-  
 num deiecit? An non *Raphaël Angelus apprehendit demonium, &  
 reliquit illud in deserto superioris Egypti?* An non Ioannes vidit  
*Angelum descendentem de calo, habentem clauem abyssi, & catenam  
 magnam in manus sua. Et apprehendit draconem, serpentem anti-  
 quum, qui est diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille: &  
 misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, ut non sedu-  
 cat amplius gentes, donec consummentur mille anni.* Quid de Ange-  
 lis dicam? de hominibus dicitur: *Signa autem eos, qui crediderint,  
 hæc sequentur: In nomine meo demonia eycient, è corporibus & ani-  
 mabus.* Quare etiam ad miserum hunc dixit: Ne desperaret; be-  
 nignum esse Deum, & fortem, & omnipotentem, cui nulla om-  
 nium bonorum quoque æquè à malorum Angelorum vires pos-  
 sint comparari. Ita vbi miser credere pariterque sperare cœpit,  
 pœnitentem crucis signo facto absoluit, & pœnitentiæ causa,  
 per tres dies conclusit.

Nemo putet, peccatori confesso nihil esse laborandum, Ad-  
 huc

DEVM, ANGE-  
 LOS BONOS,  
 IMMO ET BO-  
 NOS HOMINES,  
 DIABOLO ESSE  
 LONGE PO-  
 TENTIORES.

Psal. 50. 3.

Tob. 8. 3.

Apoc. 10. 1.

VIII.



B BASILII  
CONTRA DIA-  
BOLVM VICTORI-  
AM

huc multæ radices, multæ malæ consuetudines resident in animo  
pœnitentis. Quin & cacodæmon non statim penitus cohibetur,  
sed permittitur tentare pœnitentem, vt constantia eius probetur.  
Quare cùm, tertio die transacto in ieiunijs, D. Basilus ad inclu-  
sum suum reuertetur, salute data, interrogauit: Quo modo  
haberet? Cui ille: *Sancte Dei, non fero clamores demonum, terro-  
res & lapidationes, tenentium in manu scripta mea, & dicentium:  
Tu uenisti ad nos, non nos ad te.* Ad hæc Basilus. Pugna, fili, in-  
quiebat, & in Deum crede, neque metue belluam istam: pande-  
re rictus, non mordere; minitari, non ferire potest. Clamando  
nihil nocebit; neque terrendo proficiet, si tu terrores illius con-  
temnas. Lapidem ostendit, sed non permittitur proijcere eos.  
Scripta tua nihili facias, quæ seriò pœnitens retractasti. Ita eum  
verbis solatus, & pauillo cibo recreans, denuo signo crucis fa-  
cto includit, suaque iussit crimina deplorare. Paucis elapsis diebus  
rediit denuo, atque interrogauit, quo pacto iam viveret? Ille,  
& Pater, aiebat, à longe iam audio minas eorum & clamores,  
sed oculis eos non video amplius. Quoniam autem sciebat Basi-  
lius, quanti res sit momentaneis unguibus inferni draconis euade-  
re, data ei esca rursus hominem quadraginta dies includit, vt pœ-  
nitentiam ageret. Quibus exactis reuersus est, & quasiuit, vt se  
iam haberet? Cui ille: *Bene, sancte Dei. Vidi enim te hodie pu-  
gnantem pro me, & uincentem diabolum.* Mox igitur vir sanctus con-  
uocato in templum omni populo mandauit, vt pro misero illo,  
ea nocte, preces ad Deum funderet. Postero die pœnitentem suum  
manu apprehensum duxit in Ecclesiam. Sed non defuit tentator,  
qui & ipse sibi ante hac deuotum caput apprehensum conabatur  
è manibus Basilij eripere, idque adeò vehementer, vt in retrahen-  
do misero, ipsum Basilium impelleret, eum quo etiam palàm dis-  
putabat. Dicebat enim: In præiudicium meum hoc agis, Basili,  
ego non ueni ad eum; ille ultro uenit ad me; ille ultro auxilium  
à me postulauit; ille sua se mihi manu donauit; en chirographum  
illius, quod ego ad iudicium fero. Audiebat hanc uocem popu-  
lus, & exclamabat: *Kyrie eleison.* Basilus uero dicebat: *Benedi-  
ctus Deus. Non desleket populus iste manum ab altitudine cali, donec  
reddas chartulam manu scriptam.* Adhortatus ergo præsentem om-  
nes,

Cap. VI. Magi conuersi exemplo diuina bonit. immensitas docetur. 88

nes, vt non desisterent ab oratione ad cælum mittenda, Basilius, non antè cessauit, quàm schediasma per aërem delatum ab omnibus videretur in manibus D. Basiliij deponi. S. Pater autem, postquam Deo gratias retulit, En, inquit, peccator, agnoscis has litteras? illo dicente, agnoscere se, nempe manu sua scriptas, chartam dirupit, maritumque suæ coniugi, adiecta rectè deinceps viuendi regula, tradidit, tota ciuitate Cæsarea gaudente, & potentissimam Dei clementiam prædicante.

Multa hinc possent trahi vtilia documenta, ac præsertim illud de charitate fraterna, qua vxor maritum, maritus vxorem, frater fratrem, soror sororem, aut socius quicumque vel amicus socium vel amicum obligatus est ad Deum adducere; dum eum adducit ad Sacerdotem, & confessionem, ac pœnitentiam. Sed ego illud solum hîc vrgeo pœnitentiæ motiuum, quod à potentia Dei sumitur. Ea enim non solum est tanta, vt nullus sit tam magnus rex, aut tyrannus, quem, si delinquat, plectere non possit; verùm etiam, vt nullus peccator tam sit desperatus, tam consceleratus, tam Phlegethonti propinquus, vt eum non possit eripere è manibus inimici. Quod, vt credamus, persuadet nobis facilè infinita eius potentia, ad faciendum quidquid voluerit, sine termino aut limite aliquo, siue numerum spectes, siue magnitudinem & perfectionem. Hinc nomen est illi, *Omnipotens*, cuius omnipotentia eò se extendit, vt facere possit res omnes, quas infinita sua sapientia videt esse possibles, seu in quibus non sit contradictio, si fiant; iuxta illud Ieremiæ: *Numquid mihi difficile erit omne verbum?* & Angeli: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Hinc consequens est 1. quòd Deus de nouo possit facere infinities plures res, quàm fecerit; quia totum, quod factum est, quasi nihil est si cum eo, quod facere potest, conferatur. Qua de causa ait Ecclesiasticus: *Multa abscondita sunt maiora his; pauca enim vidimus operum eius.* Etsi ergo mirabilis est Deus in ijs, quæ fecit, longè tamen mirabilior est in ijs, quæ facere potest; nec vlla cogitatio potentiam eius potest assequi. 2. Quòd possit Deus facere quidquid voluerit in rebus, quas iam fecit, mutans illas & transmutans pro libitu suo. Quia teste sapiente, *ipse est omnipotens super omnia opera sua.* Sic fecit non tantùm vt sol curreret

IX.

POTENTIA  
DEI QUANTA

Exod. 15. 30.

Ierem. 32. 27.

Luc. 1. 37.

Eccli. 42. 36.

S. Thom. 1. p.

q. 105. a. 6.

Eccli. 43. 30.

L

per.

per cælum, sed etiam vt ad Iosue imperium subsisteret, & tempore Ezechia retrocederet; itemque, vt, tempore Passionis, lumen suum mundo negaret. Ita & in aëre, in aquis, in terris mirabilia facit. 3. Quòd possit omnipotentia Dei exequi, quidquid eius voluntas potest velle, nam si Deus aliquid efficaciter vellet, quòd efficere non posset, esset miserabilis, & non Deus. Quare sicut omnia, quacumq; voluit Deus, fecit, ita facere potest quacumque voluerit. *Subest enim tibi, cum volueris, posse*, ait sapiens. Ne fas est igitur de omnipotentia dubitare ei, cui de voluntate Dei constat; & si non constat, dicendum est: *Domine, si vis, potes*. Constat autem, Deum nolle mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Non est igitur dubitandum, eum posse quemcumque peccatorem educere è lacu miseriarum suarum.

X.

POTENTIA  
DEI ETIAM  
HOMINIBUS  
COMMUNICA-  
TA.

Hæc potentia Dei est talis, vt illi à se & natura sua competat, neque aliter ope indigeat. Ex bonitate tamen sua creaturas quoque participes facit eiusdem potentiarum, ita vt vnaquæque facere possit, quacumque suarum naturarum propriarum conueniunt. Homini- bus autem & Angelis aliam quamdam altiore excellentioreque potentiam addit, quam habeant per naturam suam, dum illos adhibet vt instrumenta & coadiutores, ad res multas ipsius omnipotentiarum proprias, teste Apostolo, qui ait: *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Ad omnipotentiam pertinet peccata dimittere, vnde cum Christus Paralytico dixisset; *Confide, fili, remittentur tibi peccata tua*, quidam de Scribis dixerunt intra se: *Hic blasphematur*; quia eum non crediderunt esse Deum. Hanc summam potestatem iniuriarum diuinarum remittendarum, merito Deus sibi reser- uasset; aut solis angelis dedisset, aut vni Pontifici Romarum concessisset. Et fuisset adhuc magna gratia, si spe veniarum obtinendarum omnes peccatores Romam vsque excurrere debuissent; at tanta est elementia Iudicis summi, vt Apostolis, eorumque successoribus Episcopis, & sacerdotibus dederit auctoritatem ac potestatem remittendi ac retinendi peccata: Ad Petrum dixit: *Tibi dabo clauem regni calorum; & quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in calis; & quodcumq; solueris super terram, erit solutum & in calis*. Deinde omnibus Apostolis: *Amen dico vobis, quacumq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in calo, & quacumq; solueritis super terram,*

Psal. 113. 11.

Sap. 12. 18.

Matth. 8. 2.

Phil. 4. 13.

Matth. 9. 2.

Matth. 16. 19.

Matth. 18. 18.

terram, erunt soluta & in calo, rursumque: *Accipite Spiritum S.* Ioan 20. 22: quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Absit, inquit S. Hieronymus, ut de his quidquam sifnistrari loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui clauis regni calorum habentes, quodammodo ante diem iudicij iudicant. Hanc potestatem etiam D. Hilarius, D. Chrysostomus, D. Augustinus & alij SS. PP. professi sunt; hanc Deus, in supra memorato exemplo, potestatem D. Basilio datam fuisse demonstrauit.

S. Hieronymus ep. 2. ad Heliodor.  
S. Hilar. in Matth. can. 18.  
S. Chryl. l. 3. de sacerdot.  
S. Aug. lib. de vera & falsa pœnit. c. 10.

XI.

HANC CONFESSARIUM POTENTIAM NON ESSE NEGLIGENDAM.  
S. Aug. loc. cit.

Jam ergo adeste, ô peccatores, & dicite mihi, quid respondetis Christo, vos damnaturo? nonne uestra negligentia peritis? Peccastis? peccatis sæpe? peccastis enormiter? nec sæpius, nec grauius potuistis peccare, quàm Deus potuerit & possit ignoscere. Hanc potestatem dedit, non Angelo, non vni apud Indos quærendo, sed Parocho, sed Pastori, sed Confessario vestro. *Qui confiteri vult peccata,* ait S. Augustinus, *ut inueniat gratiam, querat sacerdotem scientem ligare & soluere; ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet.* Puella supra dicta, maritum suum ad S. Basilium Episcopum, virum eruditum adduxit, non ut agant, qui aiunt, se adituros surdum, simplicem, senem somnolentum, qui nihil audiat, aut intelligat; aut etiam, iurisdictione careat. Magus ille, postquam agnouit se Deum offendisse, voluit Deum confitendo palàm glorificare. *Numquid enim & hoc non pertinet ad laudem Dei,* ait S. Augustinus, *quando confiteris peccata tua? immò verò maxime pertinet ad laudem DEI. Quare maxime pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? quia tantò amplius laudatur medicus, quanto plus desperabatur agrotus. Confitere itaque peccata tua, quo magis desperabas de te, propter iniquitates tuas. Tantò enim maior laus est ignoscentis, quanto maior exag geratio est peccata confitentis.* O quàm multi salutem suam negligunt, dum negligunt confessionem? dum Deum ausi sunt offendere, & diabolo obsistente, non audent placare? Magi, venefici, qui Deum & omnes cælites abiurauerunt, confitentur & veniam impetrant, atque è faucibus Orci eripiuntur: & aliqui ob exiguum lucrum iniustum, ob rem alienam domi retentam; ob consuetudinem potandi, vel voluptatem carnis, de se, de salute

S. August. in Psal. 94.



S. Aug. hom.  
49.

fua, & quod pessimum est, de Dei misericordia ac potentia desperant? Age, vnusquisque se ipsum excitet, & vel iam sibi confessionem, non solum apud Deum, sed etiam, apud sacerdotem faciendam proponat. *Nemo*, inquit S. Augustinus, *sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago. Ergo sine causa dictum est: Qua solueritis in terra, soluta erunt in celo? ergo sine causa sunt clauis data Ecclesie Dei? frustramus Euangelium, frustramus verba Christi.* Si quis est, quem vel socius, vel amor seduxit, vt pactum cum diabolo iniret, animet se, credat Deo, aperiat se Confessario aliquando. Non curet minas diaboli lapides intentantis. Videt in exemplo superiori, nihil eum posse. Saepe hoc genus hominum cogitat, confiteri, sed plerumque retrahitur, vel pudore, vel desperatione. Indiget ergo Confessario, qui possit agere obstetricem, & partum promouere. Dicat: Domine, ego etiam sum talis, de quali locutus est Concionator. Ego etiam habeo aliquid negotij cum diabolo. Cetera curabit Confessarius, & liberabit eum a tyrannide tam graui. Non sinamus nostra negligentia Confessionis remedium interire. Quoties enim tales percussi, decepti, vel crudelibus modis a malo daemone tractati cogitant, & optant iugum tam Acheronticum a se se excutere? sed timent lapides, timent ne percutiantur a suo spiritu nigro: timent ne Confessarius non possit eos liberare. Audeant vel semel cor suum aperire; sperent, immo credant Deum diabolo esse fortiorem, & experientur, diabolum nihil posse; quod minatur, minas esse; eumque velut catena vinctum teneri.

XII.

NON TANTVM  
CONFITEN-  
DVM, SED RE-  
CTE CONFITEN-  
DVM ESSE.

Video in paucis hanc esse negligentiam, vt omnino confessione non vtantur: verum, vt in alijs rebus pijs, quos diabolus non potest impedire, vt eas omittant, saltem conatur efficere, vt male peragant. Confessio, o peccator, non est, peccata tua narrare. Alioqui, qui in vino morantur, atque ebrjij foedissima quaeque sibi mutuo narrant, confiterentur; & qui gloriantur in rebus pessimis, vtque magni videantur, fingunt se fecisse, quae non fecerunt, essent inter poenitentes numerandi. *Indas ad remedium peruenire non potuit*, ait S. Ambrosius, *cum diceret: Peccavi, quod tradiderim sanguinem iustum. Indignus enim remedio fuit, quia non intimo mentis conuersus ingemuit, nec sedulo gessit poenitentiam.* *Tante*

S. Ambros.  
lib. 1 ep. 2 ad  
Simplicianu

enim

Cap. XI. Magi conferti exemplo divina bonit. immensitas docetur. *85*  
 enim pietatis est Dominus IESVS, ut & ipsi donaret veniam, si Christi  
 expectasset misericordiam. Ad confessionem pertinet, ut cum do-  
 lore & mœrore animæ instituat, sicut publicanus, qui pectus Luc. 18. 13,  
 suum præ dolore percussit. A cuius exemplo longè absunt, qui  
 tam procaciter sua flagitia narrant, ac si Confessarius ex ijs au-  
 diendis caperet voluptatem. Quin aliqui, dum ea confitentur,  
 etiam subrident, quasi de ijs non doleant, sed gaudeant, & sibi  
 gratulentur. *Exomologesis*, ait Tertullianus, *mandat animum* Tertullian.  
lib. de pœnit.  
*mœroribus deicere, illa qua peccavit tristi tractatione mutare, inge-*  
*miscere, lachrymari & mugire dies noctesq̄, ad Dominum Deum tuum.*  
 Hoc facillè facit, qui agnoscit qualem quantumque Dominum,  
 offenderit, quantum pœnæ promeruerit, quantumque in sit in  
 peccato mali, quod ut summum malum cupit post hac vitare.  
 Hoc autem, qui non cupit, non rectè, sed sacrilegè confitetur.  
 Alij in contrarium malè sunt verecundi. Etsi enim verecundam  
 deceat esse confessionem, ne inhonesta inhonestè dicantur, at-  
 que quia, ut S. Ambrosius ait: *Erubescere debemus & condemnare* S. Ambros.  
lib. de Cain  
& Abel. cap. 7.  
Eccl. 4. 2,  
*peccatum, non defendere: quoniam pudore culpa minuitur, defensione*  
*cumulatur, verum est confusio adducens peccatum, & est confusio*  
*adducens gloriam & gratiam.* Erubescere, quia peccasti: sed ne te  
 pudor impediatur à confessione. Cur enim erubescis coram homine  
 dicere, quod non erubuit coram Deo facere? Qui in naui vnum  
 foramen relinquit apertum, totam nauim mergit, etsi mille alia  
 obstruxerit. Vnum lethale vulnus chirurgo non aperire, satis  
 est ad mortem. Sic etsi cetera omnia dicas peccata, nihil tibi pro-  
 dest tua confessio, quia vnum tegis; & plerumque non est mini-  
 mum. At longè satius esset, coram vno homine mortali, pecca-  
 tore, qui nihil audet reuelare, erubescere nunc, quàm in iudicio  
 olim Vniuersali, coram toto mundo. Verè pœnitens, non solùm  
 non ridet, sed flet, & se instar Davidis, instar Magdalena, palàm  
 accusat, & in ruborem dat. Quamquam non debent peccata ita  
 recenseri, ut ipse quoque Confessarius cogatur erubescere. Quid  
 opus est narratione longa? quid rerum turpium descriptione,  
 ut ipse quoque Confessarius, putet se coram esse, & omnia intue-  
 ri? Si non ficti eiusmodi pœnitentes, tali narratiuncula cu-  
 piunt Confessarium contaminare, saltem Satan ea mente depin-  
 git il.

git illecebras, ut eum inescet. Non erubescit suam culpam accusatam, qui ita eam accusat, ut alterum faciat erubescere audientem. Quem pudet peccasse, modestè fatetur delicta, non facundè; & sua, quod peccavit, verecundia plectit, non aliena. *Qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescencia enim ipsa partem habet remissionis*, ait S. Augustinus. *Ex misericordia enim hoc precepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto. In hoc enim, quod per se ipsum dicit sacerdoti, & erubescenciam vincit, timore offensi fit venia criminis.* Non fit autem venia, nisi culpam suam agnoscat, & apud se ipsum erubescat, non tamen ita erubescat, ut sacerdoti occulat. *Hac sunt vera humilitatis testimonia*, ait S. Gregorius, & *iniquitatem suam quemq; cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire, non excusare, non extenuare, non in maritum aut uxorem, aut socium rejicere, sed totam conscientiam reuelare integrè, sincerè, simpliciter, ut ita illam peruideat Confessarius, sicut inspicit Deus.* Est quidem Deus omnipotens, & nullum non potest peccatorem saluare; sed qui creauit te sine te, & redemit te sine te, non tamen etiam saluabit te sine te. Tua vera confessio debet adesse, si vis diuinam potentiam & misericordiam tibi non deesse.

S. Augustin.  
lib de ver. &  
fals. pœnit.  
cap. 10.

S. Greg. l. 22.  
Moral. c. 13.  
& 14.

C A P V T VII.

RHEMENSIVM EXEMPLO NOS  
INSTRVI, QVO MODO PRO PECCATIS NO-  
STRIS VEL SATISFACERE, VEL SATISPATI

DEBEAMVS?

I.  
HISTORIAR  
AVTHORES, ET  
CAVSSA CLA-  
DIS  
Oth. Fris. l. 4.  
cap 28.  
Sigebert. in  
Chron. An.  
453 Nicol.  
Olaus in  
Attila, Vinc.

**H**istoria, quam percensebo, complures meminerunt in-  
signes authores, Otho Frisingensis, Sigebertus, Nico-  
laus Olaus, Vincentius, Paulus Diaconus, & alij. Cir-  
ca annum Christi Seruatoris 453. cum Gallia maximè floreret,  
vitia quoque cum fortuna inualuerunt. Primùm avaritia, per  
varias inuentiones ac titulos, ingentes opes cumulauit. Postquam  
diuitiarum habuerunt satis, neque vlla fuit laborandi necessitas,  
otio se se dediderunt Galli: non iuuentus litteris, non aduiores  
negotijs se se occupauerunt, sed tota cura fuit in nouo vestium  
ornatu,